



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum  
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut  
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &  
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis  
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

De ætate ordinandorum. 7

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)



art. 1. quæst. 1. Bonavent. art. 2. quæst. 1. Scotus quæst. 2. §. Sic br-  
niser. Durand. quæst. 2. num. 6. Paludan. quæst. 3. articulo. 1. concl. 4.  
& alij relati à Valquez disputat. 243. cap. 2. Sumiturque ex Ec-  
clesiæ perpetua traditione, quæ optimè confirmatur, cum nec  
Virgini Mariæ, neque Magdalena, aliisque sanctissimis mu-  
lieribus nunquam Ecclesiæ Ordinem vllum contulerit. Si au-  
tem iure diuino sexus fœmineus capax ordinationis existeret,  
alicui mulieri Ecclesiæ Ordinem communicasset. Ratio hu-  
jus incapacitatis desumitur ex eff. c. t. & natura Ordinis, qui  
est constitutus ordinatum in gradu superiore, & eminente in-  
ter reliquos fideles cum potestate eos docendi, & sacramen-  
ta ministrandi. At mulieres huius superioritatis iure diuino in-  
capaces existunt, vt constat ex Paulo 1. Corinth. 14. *Mulieres  
in Ecclesia taceant.* non enim permittitur eis loqui: sed sub-  
ditas esse, sicut & lex dicit: lex, inquam, Genes. 3. *Sub vi-  
ri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* & addit Paulus. *Si quid  
autem voluit discere, domi viros suos interrogent: turpe est enim  
mulieri loqui in Ecclesia.* Si autem ordinis capaces essent, &  
loqui in Ecclesia possent, & viris non ordinatis superiores  
existerent.

2. Ex qua ratione optimè infert Valquez disp. 245. cap. 2.  
n. 11. Coninch. disp. d. dub. 10. n. 96. Layman. lib. 5. sum. tract. 9.  
cap. 6. nu. 2. mulierem incapacem esse recipiendi primam ton-  
suram: nam esto, non sit ordo ecclesiasticus, est tamen eccle-  
siasticus deputatus, & dispensatio ad ordines ecclesiasticos susci-  
piendos, ad quos cum incapax sit, nequi deputari, aut aliquo  
modo disponi.

3. Secundo, decidit Valquez quæstionem de Hermaphro-  
ditis, an capaces Ordinis existant. Aferit namque cum Ari-  
stotel. 4. lib. de generat. animal. cap. 3. sub finem, nullum ex his  
monstris habere sexum vtrumque perfectum, est ex teritiis  
apparet, sed necessariò vnum ex illis præuolare, & alterum  
esse irritum, & inanem. Spectandum ergo est, qui sexus præ-  
ualeat, an virilis, an fœmineus: nam, si fœmineus præualeat,  
incapax erit ordinis, secus si virilis. Verum esto, præualeat  
virilis, & capax iure diuino sit ordinis, omninò tamen ab or-  
dine repellendus est: quippe ex communi sententia irregularis  
censetur, vt multis allegatis docet Bonac. disp. 8. de Sacra-  
ment. q. vn. p. 5. n. 6.

4. Aduersus hanc catholicam doctrinam obiciunt Hære-  
tici Paulum ad Galat. 3. dicentem in Christo Iesu non esse  
masculum, neque fœminam: ergo in templo Dei, cuius-  
que ministris non debet esse discrimen masculi à fœmina. Se-  
cundo, in veteri testamento, & etiam in nouo plures fœmi-  
næ fuerunt Prophetissæ. Nam Numeror. 12. Maria soror Moy-  
sæ prophetauit: & Luc. 2. Anna filia Phanuel, & quatuor fi-  
læ Philippo Diaconi, vt colligitur ex Actis Apostol. Si igitur  
capaces sunt prophetiæ, etiam ordinis videntur capaces esse  
posse: quippe per prophetiam quodammodo aliis superiores  
existunt, cõque docere possunt, quæ per prophetiam didi-  
cerunt. Tertio, postquam Paulus 1. ad Timotheum cap. 3. do-  
cuit, quales essent Diaconi ad ministerium ecclesiasticum eli-  
gendi, pudicos, scilicet, non bilingues, &c. statim subdit:  
*Mulieres similiter pudicas.* indicans eiusdem electionis. capa-  
ces existere. Quod amplius confirmatur ex eo, quod capit. 5.  
idem Paulus inquit: *Ne vidua minor sexaginta annorum eli-  
gatur. & qua sit vnus viri vxor.* Sicuti dixerat cap. 3. eiusdem  
1. ad Timoth. de Diacono, ne eligeretur, nisi vnus vxoris vir.  
Quarto, tempore nascentis Ecclesiæ non solum viduæ, sed  
virgines eligebantur, quæ in templo ministrabant, quæ  
que vocabantur Diaconissæ, de quibus mentionem faciunt,  
Concilium Chalcedonense. Act. 15. canone 15. & Synodus  
Græcorum in Trullo can. 48. & Clemens lib. 8. Constitutio-  
num, cap. 19. & sumitur ex Paulo ad Rom. 18. *Commendo vobis  
Phæben, sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ in Cen-  
chris.*

5. Sed hæc nullius sunt momenti. Ad primum respondeo,  
in Christo, cuiusque lege nullum esse discrimen quoad iusti-  
ficationem per Baptismum, & gratiam ibidem communica-  
tam. De hac enim loquebatur Paulus, vt constat ex verbis  
paulo antea dictis. *Omnis enim (inquit) filij Dei estis per fi-  
dem, quæ est in Christo Iesu: quicumque enim baptizati estis,  
Christum induistis.* Et statim subiungit: *Non est Iudæus non ser-  
uus, neque liber: non est masculus, nec fœmina.* &c. De ministris  
autem templi, eorumque Ordinibus, nec verbum in eo cap.  
Paulus egit. Ad secundum nego, Prophetam ratione prophe-  
tiæ in alios potestatem habere, eõque ex officio docere pos-  
se, tamen non Prophetas in eo dono excedat, eõque instrue-  
re possit in iis, quæ per prophetiam didicit. E contra verò  
ordinatus ratione ordinis, & aliis superior est, & eos ex of-  
ficio docere potest. Ad tertium admitto, viduas eligi con-  
sueuisse, non vt ministeria ordinis exercerent; sed vt vorum  
castitatis emittentes redditis, & elemosynis Ecclesiæ ale-  
rentur: hæc ergo monet Paulus, ne adolescentiores ordinen-  
tur, id est, ne in hæc statum vidualem, cui vorum continen-  
tiæ annexebatur, cooptentur, ne forte postquam iis redditi-  
bus, & elemosynis sustentata fuerint, primam fidem, id est,  
promissionem continentiam iuriam faciunt nubentes. Ad quar-

tum admitto, Diaconissas eligi, & consecrari tempore anti-  
quo, vt in templo ministrarent Diaconis, aliisque Ecclesiæ  
Ministris in iis, quæ ab ipsis erant mandata. Vnde non con-  
secrabantur, vt ex proprio officio, & munere ministrarent, sed,  
vt ex aliorum imperio inferrent, ac proinde nullum eccle-  
siasticum ordinem recipiebant; quod non obscure indicabat  
Epiphani. heres. 79. ante medium, cum dixit: *Et Ministra-  
rum quidem Diaconissarum ordo est in Ecclesia, sed non ad sa-  
crificandum, neque vt quidquam aggredi permittantur; scili-  
cet, propria autoritate. Ministrabant autem in templo. Pri-  
mò competebar illis instruere mulieres de iis, de quibus cum  
Diaconis, & Episcopis agere deberent, vt dixit Clemens Ro-  
man. lib. 2. Constitut. c. 26. alijs 30. Secundo, assistebant ad tem-  
pli officium, quo mulieres ingrediebantur, vt dignas admitte-  
rent, & indignas excluderent, de quo Clemens dicto lib. 2. c.  
57. alijs 61. Tertio, abstergebant mulieres, quarum fratres  
oleo sancto in Baptismo ungebantur, ne à viris aspicerentur,  
sicuti docuit idem Clemens lib. 3. Constit. cap. 15. & cap. 16. af-  
firmat, minus harum Diaconissarum esse mulieres baptizatas  
de sacro fonte suscipere. Quarto, ad domos mulierum mite-  
bantur, vt dixit idem Clemens dicto cap. 15. Præter supra dicta  
alia ratione Diaconissæ, imò Sacerdotissæ, & Episcopæ ali-  
quæ mulieres appellabantur, vt constat ex Synodo 11. Turo-  
nica sub Pelagio, can. 13. 14. & 20. & Concilio Antiocheno  
can. 21. & 22. non quia aliquem ordinem acciperent, sed quia  
earum viri, facta thori separatione, ordinati erant Diaconi,  
Presbyteri, & Episcopi, vt latius tradunt Michæel de Medina  
lib. 4. de continent. controuers. 6. cap. 7. Gabr. Valq. disp. 245. c. 1.  
& n. 49.*

## P V N C T V M VII.

## De ætate ordinandorum.

1. Ante vsum rationis docuit Durand. neminem Ordinis esse  
capacem.
2. Contrarium defendit communis sententia.
3. Soluuntur rationes oppositæ.
4. Amens, qui aliquando rationis vsum habuit, ordinari non  
potest.
5. Limitant aliqui, ne procedat superior doctrina in episcopatum.  
Sed non admittitur limitatio.
6. Qua ætas ad licitam Ordinationem requiratur.
7. Ordinatus ante legitimam ætatem suspenditur.
8. Limitant aliqui, ne procedat in Religiosis Minoribus.
9. Sed non admittitur limitatio.

1. **Q**uod ad ætatem attinet, fuit opinio Durandi in 4. disp.  
25. q. 2. n. 8. pueros ante vsum rationis non esse capa-  
ces ordinis recipendi. Mouentur: quia nemini decet, sacra-  
mentum aliquod concedi, nisi ipse, vel alius nomine ipsius ac-  
cepterit: puer ante vsum rationis acceptare non potest, alium  
autem non decet nomine ipsius acceptare: quippe hoc Sacra-  
mentum non est necessitas, vt Baptismus: sed voluntatis, &  
susceptientem grauius obligationibus arctat. Ergo, &c. Et  
confirmari potest ex ritu ordinationis, in qua ordinando tra-  
ditur symbolum potestatis communicatæ sub illa forma: *Ac-  
cipe potestatem.* quæ videntur postulare voluntatem liberam  
ordinandi, quæ per symbolum traditum potestatem commu-  
nicatam acceptet.

2. Certa tamen, & communis sententia est, puerum an-  
te vsum rationis incapacem esse ordinationis. Sic D. Thom. in  
4. distict. 25. quæst. 1. articulo. 1. quæst. 2. Bonavent. art. 2. quæst. 2.  
Scotus quæst. 2. Richar. articulo. 4. quæst. 2. alijs relatis Valquez  
disputat. 246. cap. 1. num. 6. Valentina disputat. 9. quæst. 4. quæst. 1.  
Coninch. disputat. 20. dub. 10. conclus. 3. Laym. lib. 5. sum-  
mar. tractat. 9. cap. 6. assert. 2. Bonacina disputat. 8. de Sacram. quæst.  
vnica, part. 5. num. 1. Colligiturque ex cap. vnico, de Clerico  
per saltem promot. ubi ordinatus ante annos discretionis mi-  
noribus ordinibus, & postmodum omisso diaconatu fuerat  
Presbyter factus, censetur validè minoribus ordinatus: si qui-  
dem solus diaconatus omiffus recipi præcipitur: non autem  
minores ordines, sub quibus subdiaconatus etiam ibi intelli-  
gitur, aliàs precipitur subdiaconatum recipi. Ratio verò est:  
quia eo ipso, quo ordinandus non resistit ordinationi, capax  
est recipiendi potestatem, quæ per ipsam conceditur, sicuti  
capax est effectus Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ:  
quippe materia, & forma horum Sacramentorum ex susci-  
pientium actibus non dependet, sicuti dependent Sacramenta  
Pœnitentiæ, & matrimonij. Neque ad hanc validam susce-  
ptionem opus est vt velit Paludan. in 4. distict. 25. quæst. post.  
3. conclus. num. 8.) consensu parentum, vel eorum, quorum  
cura ordinandus demandatus sit: quia satis est Ecclesiæ con-  
sensus, vel potius Christi voluntas, quæ ita Sacramentum Or-  
dinationis instituit, vt cuiuscunque non repugnanti applica-  
tur effectum haberet.

3. Neque



3. Neque rationes contrariae videntur. Admitto, dedecere sacerdotem ordinare ante vsum rationis, ideoque grauissimum esse peccatum: at factio hoc peccato non dedecet id asserere; præcipue cum sic ordinatus obligationibus continentiarum, aliisque iure ecclesiastico inductis non astringatur. Ad confirmationem nego, traditionem symboli sub illis verbis: *Accipe potestatem, expostulare in ordinando liberam acceptationem: sunt enim ex se efficacia ad communicandam potestatem ordinato non repugnant.*

4. Hinc tamen non licet inferre, amentem, qui aliquando vsum rationis habuit, ordinari posse, si tempore discretionis ordinem non postulauit: quia sacramenta, quae necessitatis non sunt, sed voluntatis, repelluntur, si non fuerint postulata, tempore, quo liberè postulari poterant, vt aduertit Vasquez *disp. 246. cap. 1. num. 8. Coninch. disp. 20. dub. 10. n. 100. Bonac. disp. 8. de Sacram. quest. unic. par. 5. num. 5.*

5. Limitant tamen prædictam sententiam S. Thom. & Bonavent. *locis allegatis*, ne procedat in episcopatu, cuius collationem factam pueris ante vsum rationis, asserunt, nullam esse. Tum, quia iurisdictione, & potestas nemini communicari potest, nisi ipse, cui communicatur, consentiat. Ad consecrationem Episcopi conceditur Episcopo potestas, & iurisdictione in omnem diocesim. Ergo ipse debet consentire. Tum quia per consecrationem contrahit Episcopus spirituale matrimonium cum Ecclesia, in cuius Pastorem ordinatur: matrimonium autem expostulat consensum contrahentis. Ergo, &c. Sed relictis Dominicus Sotus in 4. *dist. 25. qu. 1. art. 2. conclus. 2. Filluc. tract. 9. c. 4. q. 2. num. 76. Vasquez disp. 446. c. 1. num. 11. Bonac. disp. 8. de Sacram. qu. unic. par. 5. num. 4.* prædictam limitationem non admittunt: quia nulla est specialis ratio in Episcopatus collatione, quae in collatione aliorum ordinum non procedat. Etenim sicut potestas ad consecrandum Corpus Christi, absolvendumque a peccatis, potest ante vsum rationis communicari potest: sic poterit potestas confirmandi, & ordinandi. Neque ex hac communicatione inferitur, communicatum esse potestatem, & iurisdictionem actualem in aliquos subditos, ordinatumque specialiter alicui Ecclesiae dispensatum esse: quia hæc iurisdictione, & dispensatio ex consecratione essentialiter non dependet, tamen iure ecclesiastico consecrationi plerumque annexa sit.

6. Verum esto, certa ætas ad validam ordinationem requiritur non sit: ad licitam ordinationem omnes Doctores conveniunt, requisitam esse. Primò namque requiritur ætas, quæ plenam discretionem attingat. Non enim decebat Ministros Ecclesie constituitur infans sui muneris, & potestatis tradidit, & obsequio Bonifac. V III. in cap. Nullus, de temporib. Ordinat. in 6. præcepit, ne vllus Episcopus infanti (minori septennio, inquit Glossa) clericalem tonsuram conferte præsumat. Deinde requiritur determinata ætas, quæ pro temporum discretitate diuersa fuit, vt constat ex cap. 1. *cap. seq. 77. dist. 8. dist. 78. c. 1. cap. 1. & Clem. Generale 3. de etate, & qualitat. ordinandor. At nouo iure Trident. sess. 23. c. 12. de reformat. 22. annus inceptus expostulatur ad subdiaconatum, 23. ad diaconatum, & 25. ad presbyteratum; ad episcopatum vero 30. annus completus necessarius est ex c. *Omni in cunctis de electione*. Pro minoribus Ordinibus nullam certam ætatem designauit Concilium: quare, si ea scientia ordinandus polleat, quæ in prædicta sess. c. 4. & 11. postulatur, & ordinari poterit. Raro autem ante nouem, vel decem annos, vllus præsumi potest ea scientia, & discretionem requisita polleat, quæ ad primam tonsuram, & hinc ad exercitium muneris commissi in aliis ordinibus sufficit, sicuti notauit Coninch. *disp. 20. dub. 10. n. 102. Vasq. disp. 246. c. 4. n. 41.**

7. Ordinatus vero ante legitimam ætatem, si id ex malicia fecerit, suspensus est ab ordinis suscepti exercitio, vt constat ex Extrauag. Pij II. incipiente, *Cum ex sacrorum*, quam refert Nauarrus in cap. *Accepta de restitut. spoliar. opposit. 8. nu. 32. & in sum. cap. 27. num. 155. Quaranta in sum. Bullar. verbo, Ordo, in princ.* Quod si bona fide fueris ordinatus, à suspensione excusatus es: quia prædicta Bulla dolum exigit ad suspensionem incurrendam, vt ex Nauarr. & Couarr. obseruat Tolet. lib. 1. cap. 49. *vers. Quarta. Quaranta verbo, Ordo, vers. Quibus* Bonac. *disp. 8. de Sacram. quest. unica, part. 5. num. 13. Villalob. tract. 11. difficult. 11. n. 6. Barbof. allegat. 16. num. 20.* Non tamen obinde sequitur, quod possit ordinem suscipere exercere, siue suspensionem non contaxerit, siue ab ea absolutus sit: quia prohibens Concilium ordinari ante signatam ætatem, consequenter prohibet ordinis exercitium ante illam, vt obseruat Suarez *tom. 5. de censur. disp. 35. sect. 1. num. 23. Auila de censur. 3. part. disp. 5. dub. 7. vers. Notandum.* Bonac. *disp. 8. de Sacram. quest. unica, part. 5. num. 13. Villalob. tract. 11. difficult. 11. numer. 7.* At si susceperit ordinem ante ætatem completam exercere, esto, grauitur pecces, irregularitatem non incurris, quia nullibi est iure expressa, sicuti notatur Barbof. Suar, Bonacin. Tolet. Villalob. *locis alleg.*

8. Limitant tamen aliqui prædictam doctrinam, ne pro-

cedat in Religiosis Minoribus, & qui in eorum priuilegiis communicant ob concessionem Innocent. VIII. relata in *Monument. Ordin. fol. 65. aliis 69. concess. 147. & in supplement. fol. 99. concess. 378.* ibi enim refertur, Innocent. VII. viuz vocis oraculo dispensasse cum toto Ordine Fratrum Minorum: quod postquam Fratres huiusmodi attingerent 23. ætatis annum, dum tamen sufficientes sint, possint promoueri ad sacerdotium, & Missas celebrare, non obstante iure, cæterisque contrarium facientibus, &c. Et postmodum concessit, quod Generales, & Prouinciales possint dispensare cum Fratribus suis in 22. anno completo. Quod priuilegium, sicuti testatur Compiler in *Compend. Priuilegior. Minorum, verbo, Dispenfatio, numer. 15.* limitatum fuit in Capitulo generali Florent. celebrato, vt solum id fieret in casu necessitatis, propter sacerdotum paucitatem, & ex consilio quatuor Guardianorum pro hac necessitate examinanda constitutorum: & postmodum in Capitulo generali Burgenfi decretum est, hæc dispensationem ex concilio quatuor Definitorum faciendam esse. Priuilegia enim viuz vocis oraculo concessa, & suspendi, & limitari possunt à Capitulo generali. Et licet Concil. Trident. hoc priuilegium derogare videatur, nihilominus Pius V. viuz vocis oraculo concessit, vt in foro conscientie vt Religiosi possint omnibus gratiis, & priuilegiis ante Trident. concessis, esto, per Trident. derogata, aut, restricta sint, vt refertur in *Compend. priuileg. Socier. Iesu. verb. Concilium Trident. §. 3.* ob quam causam Eman. Sà verb. *Religio. n. 58. in edit. prima*, asserit, Religiosos ordinari posse ante ætatem legitimam.

9. Cæterum esto, prædicta vera sint, nullatenus possunt Religiosi Minores ordinari ante ætatem à Concilio præscriptam. Etenim priuilegium Innocentij à Concilio Trid. reuocatum est: Pius vero V. solum in foro conscientie priuilegia reuocata restituit, quæ Constitutio ad prædictum priuilegium extendi non potest: quia necessariò exigit priuilegium illud ad sui vsum in foro externo restitui. Quippe omnes Religiosi literis dimissoriis sui Prouincialis indigent, vt ordinentur, quibus Prouincialis publicè testatur, ætatem legitimam habere: quod testimonium nullatenus verum esse potest, nisi quatenus Prouincialis dispositionem concessit. Prodest ergo concessio, non pro foro conscientie tantum, sed etiam pro foro externo. Adde, hæc dispensationem non posse Prouincialem facere, nisi cum consilio Definitorum examinata causa dispensationis, ac proinde in foro externo, & iudiciali, iuxta religionis vsum. Deinde Sixtus V. in sua *Bulla contra male promotos*, omnia supradicta priuilegia, & Pij V. concessionem reuocauit, statuens sub grauissimis penis, Concilium Tridentinum obseruari in iis, quæ circa ordinum susceptionem præscripsit, vt constat ex illis verbis: *Aut ante per ætatem per sacri generalis Concilij Trident. decreta prima tonsura, aut cuique Ordini prescriptam.* Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, ac in Conciliis, etiam generalibus editis, cæterisque contrariis quibuscunque, Et licet Clement. V III. anno 1595. pridie Kalend. Martij prædictum motum proprium Sixti reuocauerit, id solum fuit, quatenus ius commune, & terminos Concil. Trident. excedebat, quatenus vero iuri communi, & Trident. conformis erat, confirmauit, & reuoluidauit. Quapropter concessio Pij V. vt præter Sixtum, & Clementem reuocata, neque in foro exteriori, neque in interiori prodesse Religiosis potest. Et ita docuit Manuel Rodrig. *tom. 3. q. regular. q. 23. art. 6. Mirand. Man. Pralat. t. 1. quest. 39. art. 1. Valq. decis. 246. cap. 4. in fine, n. 44. Layman. lib. 5. summa. tract. 9. cap. 7. n. 2. Villalob. tractat. 11. de ordine. difficult. 11. in fine num. 8.* Quod verò subdit Vasquez prædictum priuilegium Pij V. ad hoc prodesse posse, vt si bona fide Religiosus ante legitimam ætatem ordinatus fuerit, possit in foro conscientie à suo Prouinciali dispensari, vt in suscepto ordine ministrare ante completam ætatem, mihi non probatur, eò quod existimem prædictam concessionem Pij V. motu Sixti V. & Clement. abrogatam esse. Denique huic quæstioni & dubitationi locus non est, cum Urbanus V III. hoc anno 1632. omnia priuilegia, & gratias viuz vocis oraculo concessas reuocauerit.

PUNCTVM VIII.

De qualitate ordinandorum quoad mores, & scientiam.

1. *Quæ ad qualitatem ordinandorum pertinent.*
2. *Quid ad mores.*
3. *Qualiter informatio faciendæ est.*
4. *Quid pro Religiosis.*
5. *Quem sensum habeat interrogatio Episcopi, an ordinandus sint apti, & Archidiaconi responsio.*
6. *Afferunt aliqui, peccare mortaliter, qui primam tonsuram, Ordinesque minores suscipi animo declinandæ secularis iudicium.*